



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 138. Burgundi irruptio in Normanniam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. CXXXVIII.

Sæcul. XV.

A.C. 1472.

Burgundi irruptio in Normanniam.

Dux Burgundiæ nupero Bellovacensis obsidionis ignominia adeo non absterrebatur, ut etiam ad nova molimina animum adjiceret, atque in Normanniam cum exercitu suo irrumperet, ibidem Britanniae Ducem, uti promiserat, præstolaturus. Verum Britannorum copiae in eam Provinciam penetrare haud poterant, eoquod interea Ludovicus Rex Aquitanniam occupasset, ac rupta omni mora in Britanniam agræen suum duxisset. Re comperta Burgundiæ Dux, cum Britanniae Ducis copias utpote ad tuendam patriam reservatas adducere haud posset, primo Augium (*) urbem, S. Galerici oppidum, & novum castrum occupat, dein in Caletensem Agrum populabundus excurrit, Deppæ suburbia incendit, ac demum eadem armorum rapiditate Rothomagum usque progreditur, ubi Britonum copias suis jungendas sperabat. Ast spe sua delusus, pedem referre cogitur, amissis denuo cunctis urbibus, quas præcipiti victoria nuper emensus

Commin.

l. 3. c. 10.

Causæ.

fus

(*) *Golnitzius in suo Itinerario Belgico-Gallico hanc urbem appellat Eufium.*

Sæcul. XV.
A.C. 1472. sus erat; Talem denique finem Burgundiae Dux expeditioni suæ imposuit. Post hæc Regis copiae, Augio & S. Galerici oppido recuperatis vicem reddebant, nec minori ferocia ac antea Britones Picardiam atque Normanniam, nunc ipsæ Burgundiae Ducatum devastabant, totamque Provinciam continenti incendio involventes, omnia igne ac cædibus miscebant.

§. CXXXIX.

Lescunus ad Regis partes pertractus.

Rex rebus omnibus in Aquitannia compositis, copias suas ad Pontem Cæsaris in Andegavia promovet, ut Britanniae Ducem, incusso timore a Burgundi societate avelleret. Eadem occasione Rex ad suas partes pertrahebat Lescunum. Hic defuncto Aquitanniae Duce, cui addictissimus erat, in Britanniam sese receperat. Utebatur præprimis Ludovicus opera Philippi Essarti, & Guillelmi Suplevillæ, qui ambo Lescuno ab obsequiis erant, auroque a Rege corrupti iterato suasu atque instinctu Dominum suum urgebant, ut Regis voluntati morem gereret, eoquod ille erga eum optime affectus esset. Lescunus gloriæ cupiditate accensus existimabat, quod nulli, quam in Franciæ Regno luculentius præclaras animi sui dotes ostendere posset;